

te tali profert, ut adhuc a nemine sit plene intellectum abieritque ea obscuritas in proverbium, obscurior Platonico numero.

Id aenigma, si ut verba sonant, non fuerit propria eius rei publicae mutatio. Sed si quis aenigma aperiat, fuerit propria. Sed et propriam affert, nec verum est, τὴν ἰδίως οὐ λέγει, *propriam non dicit*. Sic enim libro 8. non longe ab initio habet:<sup>77</sup> *Difficile quidem est, ut moveatur civitas ita constituta, sed quoniam omnigenito corruptio sequitur, nec talis constitutio per omne tempus mansura est, sed dissolvetur*. Subdit postea numerum illum, post quem propriam eius mutationem clarissime exponit, cuius initium mutationis ait esse:<sup>78</sup> *Quando nostri custodes cohabitare faciant sponsas cum sponsis extra tempus, nec ingeniosi nec fortunati filii erunt, quorum sane optimos priores illi constituent custodes. Sed cum indigni sint veniantque in patrum principatus, primo curare nos negligenter incipient, putantes minus quam deceat musicam, deinde gymnasticam, unde rudiores nobis fient iuvenes*. Hoc sane initium est mutationis optimae rei publicae.

Cuius mutationis fine ait Aristoteles Platonem dicere eam in Laonicam transire:<sup>79</sup> *Ad haec, quam ob causam ex hac in Laonicam mutatur?* Hoc autem Plato nusquam dixit, sed eam mediam inter aristocratiam et oligarchiam constituit clarissime:<sup>80</sup> *nonne, inquam ego, in medio fuerit aristocratiae et oligarchiae haec res publica?* Neque ulla est toto eo libro mentio Laonicae, praeter quam initio in numeratione peccantium rerum publicarum. Ubi tamen

<sup>77</sup> χαλεπὸν μὲν κινηθῆναι πόλιν οὕτω ξυστᾶσαν· ἀλλ' ἐπεὶ γενομένῳ παντὶ φθορά ἐστίν, οὐδ' ἡ τοιαύτη ξύστασις τὸν ἅπαντα μενεῖ χρόνον, ἀλλὰ λυθήσεται. [PLATO, R. 546.a.1 – 3]

<sup>78</sup> ὅταν {ἀγνοήσαντες} ὑμῖν οἱ φύλακες συνοικίζωσιν νύμφας νυμφίοις παρὰ καιρὸν, οὐκ εὐφυεῖς οὐδ' εὐτυχεῖς παῖδες ἔσονται ὧν καταστήσουσι [καταστήσονται] μὲν τοὺς ἀρίστους οἱ πρότεροι, ὅμως δὲ ὄντες ἀνάξιοι, εἰς τὰς τῶν πατέρων αὐτῶν δυνάμεις ἐλθόντες, ἡμῶν πρῶτον ἄρξονται ἀμελεῖν φύλακες ὄντες, παρ' ἔλαττον τοῦ δέοντος ἡγησάμενοι τὰ μουσικῆς, δεύτερον δὲ τὰ γυμναστικῆς, ὅθεν ἀμωσσότεροι γενήσονται ὑμῖν οἱ νέοι. [PLATO, R. 546.d.1 – 8]

<sup>79</sup> πρὸς δὲ τούτοις διὰ τίν' αἰτίαν ἐκ ταύτης εἰς τὴν Λακωνικὴν μεταβάλλει; [ARIST. Pol. 1316a.17 – 18]

<sup>80</sup> Οὐκοῦν, ἦν δ' ἐγώ, ἐν μέσῳ τις ἂν εἴη ἀριστοκρατίας τε καὶ ὀλιγαρχίας αὐτῆ ἢ πολιτείας; [PLATO, R. 547.c.6 – 7]